



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De periurio, & an sit periurium quod non est mendacium. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Illud etiam sciendum est, quod in quibusdam rebus magno malo, in quibusdam paruo, in quibusdam nullo fallimur. In quibus rebus nihil interest ad capescendum Dei regnum, vtrum credantur an non, vel vtrum vera putentur an falsa, siue sint siue nō, in his errare, i. aliud pro alio putare, non arbitradum est esse peccatum: vel si est, minimum atque leuissimum. Et sunt vera quedam, quamuis nō videantur: quę nisi credantur, ad vitam æternam nō potest perueniri. Et licet error maxima cura cauedus sit non modo in maiorib. sed etiam in minoribus reb. nec nisi rerum ignorantia possit errare, nō tamē est cōsequens, vt continuò erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire, quod nescit. Pro vera n. approbat falsam, quod erroris est proprium. Veruntamē in qua re quisquis erret interest plurimum. Sunt n. quę nescire sit melius quam scire. Itē nōnullis errare profuit aliquando: sed in via pedum, non in via morum. Solet etiam quæri de iacob, qui se dixit esse Esau, aliter animo sentiēs, vtrum mentitus sit? De hoc Aug. ait, iacob, quod matre fecit auctore vt falleret patrem, si diligenter attendatur, videtur non esse mendacium sed mysterium. Intendebat enim matri obedire, quę per spiritum nouerat mysterium: & ideo propter familiare consilium Spir. S. quod mater acceperat, à mendatio excusatur iacob.

DE PERIURIO.

DISTINCT. XXXIX.

Nunc de periurio videamus. Periurium est mendacium iuramento firmatum. Hic quæritur, Vtrum sit periurium, vbi nō est mendacium? Quod quibusdam videtur ex auctoritate Hiero. dicētes. Aduertendum est, quod iusiurandū tres habet commites, veritatem, iudicium & iustitiam, si ista defuerint non erit iuramentum, sed periurium. Vbi autem falsum iuratur, veritas deest. Si ergo falsum

VU 4

iure-

*Aug. in pr.**c. 19. in En-**chirid.**Ibid. in pr.**cap. 21**Ibid. ad fin.**cap. 10.**Ibid. c. 17.**in princ.**Ibid. condi-**nud Aug.**Gen. 27. 6**A De periurio.**Hiero. super**Hieremiam**in commen-**tariis, ad il-**lud.**Hieremia**iurabis in**veritate,**cap. 4. to. 5.*

iuretur, etsi non sit tibi intentio fallendi, videtur esse periurium, quia deest veritas. Quibusdam placeat non esse periurium, ubi non est mendacium, & sicut dicitur aliquando falsum sine mendacio, ita iuratur falsum sine periurio. Falsum fortè dixit Apost. cum se venturum ad Corinth. promisit: nec tamen sicut ei imponebatur, culpā mendacii contraxit, quia sic animo sentiebat, etiam si iuramento illud firmasset, non periuriū incurrisset: quia quantum in ipso fuit, verum dixit, & si iurationem addidisset, quantum in se foret, verum iurasset, etsi aliter eueniret quam dixit. Ideo sicut quis non est mendax, nisi aliter sentiat animo quam dicit, siue ita sit siue non sit: ita videtur quibusdam neminem periurum constitui, nisi aliter sentiat animo quam loquitur, siue ita sit siue non.

De triplici modo periurii.

*De verbis
his, Nolite
iurare, Iac.
Apost. ser. 28.
Non longè à
prin int 10.*

Sed melius creditur & ille peierare, qui falsum voluntate fallēdi iurat, & qui falsum putans quod verū est iurat, & qui verū putans, quod falsum est, iurat. Vnde Aug. Homines falsum iurāt vel cū fallunt vel cum falluntur. Aut putat homo verū esse quod falsum est, & temerè iurat: aut scit vel putat falsum esse, & tamē pro vero iurat, & nihilominus cum scelere iurat. Distant a. illa duo periuria quæ cōmemorauit. Fac illum iurare, qui verum esse putat pro quo iurat, verum putat esse, & tamē falsum est: non ex animo ipse peierat, sed fallitur. Hoc pro vero habet quod falsum est, non pro falsa re sciens iurationē interponit. Da aliud qui scit falsum esse, & iurat tanquā verum sit quod falsum scit esse. Videtis quā ista detestanda sit bellua. Fac alium qui putat falsum esse, & iurat tanquā verū sit, & fortè verum est. V.g. vt intelligatis. Pluit in illo loco. Interrogas hominē & dicit pluuisse: & tunc pluit ibi, sed putat non pluuisse, periurus est. Interest quēadmodum verbum procedat ex animo: reā linguam

non